

8
Disputatio V.
DE PECCATO
ORIGINIS.

EX SECUNDO ARTICULO
Confessionis Augustanae.

Cuius subiectas Propositiones,

DEO PROPITIO GUBERNANTE,
PRAESIDE ÆGIDIO HVNNIO, S. Theologiae
Doctore & Professore, M. ANDREAS EISE-
MANNVS Neagoreus Palatinus, in privato Col-
legio Disputationum Theologicarum, die
21. Iulij, pro viribus defendit,



WITTEBERGAE,

Typis Matthæi Welaci viduae,
Anno M. D. XCIIII

DISPV. DICTIO V. ETC.
DEFFECTO
ORIGINIS.

EX SECYNDO ARTICVLO

DEO PROPRIIO GVBERNANTE

PARTE DE DEO V. 2. Theologic

DE GVO DE PROCEDE, M. ADRA'S F. I. E.

MAVY, N. S. T. H. I. N. S. I. P. R. I. V. A. T. O. C. O. L.

LEGIO. D. I. C. T. I. O. N. I. A. M. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.

DE V. I. S. I. T. A. T. I. O. N. I. S. P. R. O. V. I. D. I. C. T. I. A. M.



DISPUTATIO DE PEC- CATO ORIGINIS.

I.

Dist locus de Deo, disputatio de homine
fulcipitur, cuius statum ante & post lapsum
exquirendi materiam nobis luculentam
præbet secundus Augustanæ Confessionis
Articulus.

2. Nam quia claris verbis ostendit, quæ
sit omnium hominum **POST LAPSUM**
AD Æ conditio; satis indicat, aliam nunc illorum esse for-
tem, quam vel ante lapsum fuerit, vel porro fuerit futura,
si in illo primæuæ innocentiaæ statu Adamus unâ cum po-
steris suis perstitisset.

3. Conditus autem fuit homo, id est, Adamus & Eva ad
Dei imaginem: quæ fuit in mente lux sapientiaæ & cognitio-
nis Dei ac operum ipsius: in voluntate, conformitas cum
voluntate Archetypi Dei, omniumq; virium animæ mem-
brorumq; corporis rectitudo & pulcherrima congruentia:
sive, ut Paulus *ὁμοιωσις* complectitur, fuit imago Dei iusti-
tia & sanctitas veritatis, Ephes. 4.

4. Non autem originalis iustitia hæc & sanctitas fuit or-
natus extrinsecus, qui citra naturæ deprauationem potue-
rit auferri: quemadmodum corona de capite virginis au-
ferri potest, intacta permanente eius virginali pudicitia, ut
Scholastici Theologi disputarunt.

5. Nec verò fuit imago Dei homo ipse per se & ratione
substantiaæ suæ consideratus: siquidem palam est, Adamum
etiam amissa Dei imagine retinuisse nihilominus animam su-
am & corpus, tanquam substantiaæ suæ partes, licet horribi-
liter corruptas & deprauatas.

6. Sed fuit totius substantiaæ hominis, secundum animam
& corpus perfectio summa, eoq; concreata, quæ citra destru-
tionis quidem, non autem citra horrendam totius naturæ

Imago dei qd

& ~~essentiae corporis atque animae depravationem~~ tolli per
miq; poterat.

7. Quae causa est, quod Lutherus contra Scholasticos dis
sputans, imaginem DEI scribit fuisse connaturalem adeoque
de Essentia hominis, hoc est, requisitam ad intrinsecam per
fectionem creatae naturae & essentiae humanae, rectitudinem
eius & cum Archetypo Deo congruentiam.

8. Quam Dei imaginem tanquam bonum suae naturae
concreatam Adamus & Eva propagaturi erant in posteros,
nisi lamentabilis illa defectio & ruina intervenisset.

9. Posteaquam verò per lapsum Adamus hac integritate
naturae excidit, Diabolo movente arbitrium eius à concreata
iustitia qua prius erat limitatum, ad oppositam iniustitiam &
inobedientiam: factum est, ut transgressione mandati, atq; sic
actuali peccato naturam pollueret, & morbum eum, qui ho
diè dicitur Originis Malum, in naturam suam introduceret
& hanc perversitatem ex natura iam corrupta in omnes po
steros propagaret.

10. Hoc est quod dicit Augustana Confessio, post lapsum
Adae omnes homines secundum naturam propagatos nasci
cum peccato.

11. Quod peccatum privatione metus seu timoris filialis, ut
& inducit erga Deum describitur, & simul positione contra
rij, nempe securitatis carnalis, & diffidentiae, ut & concupis
centiae, qua homo depravatus naturae impetu fertur ad id
tantum, quod Deo voluntariq; eius adversum & inimicum est.

12. Hoc vitium propagari per carnalem generationem in
posteros, dilucide perhibet Moses, Gen. 5. dicens: Genuit
Adam hominem ad S V A M 'imaginem' id est, peccatorem;
qualis erat ipse.

13. Vnde post lapsum haec voces: quis potest facere mundum
de immundo conceptum semine? Job 14. Et rursus: Quid
est homo, ut immaculatus sit, & ut iustus appareat natus de
muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, & coeli
non sunt mundi in conspectu eius: quanto magis abominabi
lis & inutilis homo, qui bibit quasi aquam iniquitatem?

14. Hinc David se in peccato conceptum & natum ingenuè
confitetur, Pfal. 51.

15. Et

15. Et quod de se dixit singulatim, id generatim enunciat de cunctis post lapsum hominibus, Psal. 14. Dominus de celo prospexit super filios hominum, ut videat, si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.
16. Hinc Salomon scribit: quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum ab iniquitate? Prouer. 20.
17. Et Christus itidem universum genus hominum complexus pronunciat: Quod ex carne natum est, Caro est. Ioha. 3.
18. Carnis autem sensus est inimicitia adversus Deum: legi enim Dei non subditur, imò ne potest quidem. Rom. 8.
19. Quæ testimonia perspicuè tradunt, peccatum originis non esse unico illo lapsu primorum parentum definiendum, sed ipsiusmet naturæ nostræ extrema corruptione in nos per parentum generationem propagata.
20. Eadem testimonia docent, esse hoc malum originis peccatum verè ut quod hominem pulluit & immundum efficit, à Deo eiusque voluntate penitus illum auertens, eumq; coram Deo abominabilem reddens.
21. Peccatum verè sic dictum à Ioanne definitur *ἀνομία* seu incongruentia cum lege Dei, 1. Iohan. 3.
22. Est vero peccatum originis legi diuinæ quàm maxime contrarium, vt quod impellit ad agendum contra legem, omniumq; peccatorum actualium, externorum & internorum, Decalogo prohibitorum causa & radix est.
23. Imò cum lex Decalogi naturæ, cordis, animæ, mentis & spiritus cunctarumq; virium consummatam perfectionem requirat, secundum illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, toto spiritu & ex omnibus viribus tuis: certè quia peccatum originis naturam ipsam, cor, mentem, animam hominis, eiusq; omnes ac singulas vires, à dilectione illa Dei & proximi horribilem in modum auertit: necessariò concluditur, verè esse peccatum.
24. Patet hoc amplius ex effectu peccati originalis, qui est mors vtraq; temporalis & æterna.
25. Mortem esse stipendium peccati, & vicissim peccatū esse mortis aculeum, Paulus asserit, Rom. 5. & 1. Corinth. 15.

26. Jam quia moriuntur etiam infantes, à peccatis actualibus adhuc immunes: certè propter peccatum originis moriantur necesse est.

27. Iuxta illud Apostolicum Rom. 5. per unum hominem peccatum in mundum introijt, & per peccatum mors, & sic in omnes homines peruasit, quatenus omnes peccauimus.

28. Nequè verò mortem affert temporalem duntaxat, sed ut Augustana Confessio ex scriptura docet, damnat & affert nunc quoq; mortem æternam.

29. Idq; adeo, ut ob hoc ipsum, quia caro de carne nascimur, Christus pronunciet, occlusum nobis esse regnum cœlorum, ni alia nativitas è supernis accesserit, Iohan. 3.

30. Ideoq; filij iræ dicimur NATURA, sicut & cæteri, Ephes. 2.

31. Vnde meritò damnantur ab Augustana Confessione Pelagiani, qui vitium originis esse peccatum negant.

32. Damnatur etiam opinio Scholasticorum Theologorum sub Papatu, docentium, naturalia mansisse integra: nec ad Essentiæ naturæque perfectionem ac rectitudinem pertinuisse Dei imaginem, nec succedens peccatum ad ipsiusmet naturæ iam horribilem depravationem efficiendam valere.

33. Damnantur Anabaptistæ, quorum aliqui parvulos absq; peccato nasci contendunt, ideoq; baptismum non egere ex falso præsupposito falsissimè concludunt.

Calvinus: lib. 4. institut. cap. 16. sect. 15. 34. Damnatur error Calvini & discipulorum eius, qui contra clarissima verba Confessionis Augustanæ, quin imò scripturæ, non verentur asserere, Christianorum liberos à parentibus significationem ducere, & NASCI in fœdere adoptionis, ut Beza ostendit.

35. Quod Christus Iohannis tertio, mediante iuramento falsum & erroneum esse bis asseverat, ita iurans: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest videre regnum Dei. Et mox: Amen, amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.

36. Cuius asseverationi subscribens Augustana Confessio palàm edocet, OMNES homines nasci sine metu Dei, sine fiducia erga Deum; nasci cum peccato, quod damnet & asse-

rat

rat nunc quoque æternam mortem, his, qui non renascuntur
per Baptismum & Spiritum sanctum.

37. Hoc cum apertè negent Calvini sectatores, & contra-
rium defensores, nempe quosdam homines, quos ipsi decreto
absoluto Dei prædestinatos ad salutem fingunt, in ipso ado-
ptionis fœdere NASCI & à parentibus suis SANCTIFI-
CATIONEM DUCERE, facile quisq; reputabit, quam
bellè Calvinistis cum Augustana Confessione in hoc quoque
doctrinæ capite conveniat.

38. Porrò cum quæritur, sitne peccatum originis substan-
tia vel accidens: respondetur, non esse ipsam hominis sub-
stantiam, sed eius accidens, seu, ut Paulus nominat, ADHÆ-
RENS Rom. 7. ideoq; non ipsam carnem, sed quiddam IN
carne habitans. Ibid. totamq; naturam carnis CIRCUM-
STANS, Heb. 12.

39. Est autem accidens non in superficie naturæ hærens, sed
ad intimos naturæ recessus malignitate sua penetrans, & in
homine non aliquam particulam corrumpens, sed totam vi-
tians & pervertens naturam, adeò, ut nihil sanum, integrum
aut impollutum in nobis sit, à vertice capitis usque ad plan-
tam pedis, sed tota essentia, substantia & natura hominis isto
horribili accidente coram Deo abominabilis æternæq; dam-
nationis rea sit reddita.

40. Rectissime igitur peccatum naturale & personale à
Luthero dicitur, quod non actionem aliquam, sive internam
sive externam, ut peccata actualia, sed naturam ipsam & per-
sonam ipsam ineffabiliter contaminarit.

41. Esse verò aliud hominem ipsum, aliud verò peccatum,
præter allegata Pauli & Epistolæ ad Hebræos testimonia, po-
tenter etiam demonstrant Articuli Symboli Apostolici.

42. Homo enim etiam post lapsum est manetq; substantiæ
sue ratione opus Dei Job 10. & 33. Psal. 139. & Mala. 2.

43. Peccatum vicissim non est Dei opus, Psal. 5. & 1. Ioha.
2. sed Satanæ, Ioha. 8. 1, Ioha. 3. Unde clarissimum discrimen
elucet, etiam in statu corruptionis, hominem videlicet sub-
stantia sua non esse ipsummet sine discretionem peccatum,
quamvis peccato sit inenarrabiliter in modum corruptus &
contaminatus.

44. Adhæc

*An sit substantia
vel accidens*

44. Adhæc si substantia nostra est ipsum peccatum sine
omni differentia, ut Flaciani pervicaciter contendunt tum
Christus quia peccato omni caret, aut nobis fratribus suis
consubstantialis non est, nec caro de carne nostra: aut si con-
substantialem nobis esse dixeris, ipse quoque peccator (quod
vel cogitatu profanum est) sit oportet.

45. Vtrumque cum sit à religiosa pietate dissentaneum, agnoo-
scenda erit distinctio inter substantiam carnis seu naturæ no-
stræ (gratia cuius nobis fratribus suis similis est, Heb. 2.) & in-
ter peccatum, cuius respectu nobis est manetque dissimilis.

46. Idem demonstratur ex opere redemptionis. Siquidem
venit Christus, ut hominem, tanquam suum opus, non de-
strueret sed redimeret: peccatum verò, ut Satanæ opus, non
redimeret sed dissolveret, 1. Iohan. 3. Aliud ergo peccatum,
aliud verò homo corruptus.

47. Homo est, QVI liberatur: peccatum verò est, A
QVO, liberatur homo, Matth. 1.

48. Et idem hoc corpus, quod nunc circumferimus resur-
get in novissimo die, Iob 19. & una cum anima sua recipie-
tur in vitam æternam. Peccatum originis autem nec resur-
get, nec ei in vita æterna ullus erit locus, sed, ut Lutherus in
cap. 38. Genes, testatur: S E P A R A B I T V R, caro nostra à
peccato: sunt enim peccatum & mors, mala S E P A R A B I -
L I A.

49. Discernenda igitur est deformitas à creatura, inquit
idem Lutherus super cap. 25. Et spirituales homines debent
D I S T I N G V E R E inter P E C C A T V M originale &
C R E A T V R A M, super cap. 4. Genes.

50. Ex quibus indubitatò concluditur, nō alio sensu Luthe-
rum nonnunquam hominem nominare peccatum, quam ut
in lingua latina (sicut ipsemet sese explicat in 3. cap. Epist. ad
Gal.) cum excellenter volumus aliquem significare scele-
stum, vocamus eum scelus. Hoc ipso locutiones illas non in
sensu proprio, sed ex latinæ linguæ usu in figurato accipien-
das esse, hæc luce clarius ostendens.

F I N I S.

AB 61 430

ULB Halle

3


002 694 131



SK







8

Disputatio V.
**DE PECCATO
ORIGINIS.**

EX SECUNDO ARTICULO
Confessionis Augustanae.

Cuius subiectas Propositiones,

DEO PROPITIO GUBERNANTE,
PRAESIDE AEGIDIO HVNNIO, S. Theologiae
Doctore & Professore, M. ANDREAS EISE-
MANNVS Neagoreus Palatinus, in privato Col-
legio Disputationum Theologicarum, die
21. Inlij, pro viribus defendit,



WVITEBERGAE,

Typis Matthæi Welaci viduae,
Anno M. D. XCIIII

